sanctorum in sola cum prestare meritis preferri uideretur honoribus.
Sciens in humilitate radice plantatum ad centenos fructus adsurgere
blandus iuuenibus grauis maturis doctus peritis submissus exhibendo
simplicibus totum illam dominici gregis legionem distinctam actuum uarietate
gentibus quasi unam animam in sua affectione colliget. ibi biennio se ipso
potior mundi istius sarcinam deponens uictor insidiarum quas antiqui
serpentis parat astutia die nostro et lucem presentis saeculi perpetui
luminis adeptione commutauit; Taceo qualiter uitam ipsius mortis clari
tudo signauerit ne uniuersa digerens non tam ueritatem narrasse
quam praedicti laudibus uidear inmoratus uelut si quis consitum lucum
frondium densitate repperit ex quo coronam ferro stringentes sub
ripiens genium siluae dum praesumit parua non amouet melioribus
equidem de antonii nostri factis quae stilo non adtigi narranda seruaui
uincat forte eloquentiae flumine nemo me circa illum superabit
affectu. habeat qui secutus fuerit de pertinae messe iactantiam mihi
gratiam beati hominis nemo praeripiet quia ad explica(ndu)nda eius bona primus accessi.;

EXPL(icit) UITA BEATI ANTONI FELICITER.; ENNODIUS SENARIO

Numquam apud dominum fusa deprecatio uotiua nudatur effectu. apud quem
hilaritas lacrimis obtinetur et merore transit in laetitiam adfuit diuini
tatis auxilium desideriis meis et te animae meae maior portio de plexis
gentium finibus misericordia duce reuocauit. uere non possum epistulam
in multa uerba diffundere impeditus fletibus quos gaudia in cumulum
adducta pepererunt. fac mi domine paruitati meae caelestis domi
plenitudinem inpertire unum utque habeam hospitium nec de parietum
angustia sollicitudo generetur quando unum pectus sufficiens
animabus nostris prestat habitaculum.;

ENNODIUS PAMFRONIO

Magna semper ia gaudiorum expers est continentiae hilaritas et in
uocem gestit erumpere, uenit optatus desideriis dies et ille quem
numquam demeritis meis sed semper de superna pietate postolaui
magnitudini tuae splendor accessit. Redditus est generi et moribus;

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Koninklijke Bibliotheek van België
Bibliothèque royale de Belgique
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Koninklijke Bibliotheek van België / Bibliothèque royale de Belgique
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/kbr_ms9845-48/0253